

Friedrich-Wilhelms-Gymnasium

ZU

9

GREIFFENBERG IN POMMERN.

XV.

OSTERN 1867.

INHALT: 1. Quaestionum Sophoclearum pars tertia.
2. Schulnachrichten.



Friedrich-Wilhelms-Gymnasium

GEOMETRIE IN FÜNF BÜCHERN

VV

OSTERT 1865

INHALT: I. Questionen Sphärologieum pars I.
II. Sphärologieum.

Verlag von F. Vieweg in Braunschweig

Oed. Col. 57. *χθονὸς καλεῖται τῆθε χαλκόπους ὁδός,
ἔρεισμι' Ἀθηῶν.*

Licet nobis certas quasdam res ut ab omnibus concessas silentio praeterire, veluti quod Brunckius, vir ingeniosus, etsi non satis Graece doctus, emendavit *ὁδός*, quod libri praebebant, et pro eo *ὁδός* i. e. *οὐδός* limen scripsit. Eius modi autem limina etiam alias monstrabantur, etiam aenea, quale hoc est. Sed si nihil additum sit liminis notioni, quid inde proficimus? Nam quod est hoc loco *χθονὸς τῆθε ὁδός*, hoc nullius momenti est; erant etiam alia limina, quae ad inferos ducere credebantur; suum vero quaeque terra verum limen existimabat. Aliter res se haberet, si pro *χθονὸς* scriptum esset *γῆς*; liceret enim Terram quasi personam cogitare, quamquam vel huic interpretationi pronomem *τῆθε* repugnaret. Equidem unam viam novi, quae nos ad veram sententiam perducatur, si legamus: *Σκότου καλεῖται Γῆς τε χαλκόπους ὁδός*, i. e. limen, quo deus inferorum ac dea terrae ad inferas suas sedes descendunt. Id vero etiam eis, quae sequuntur, mirum in modum confirmatur. *Ἐρεισμι' Ἀθηῶν* quid sibi vellet, nemo adhuc explicuit. Si de loco natura munito cogites, qui urbi ipsi praesidio sit, hoc ab huius loci sententia, in quo de religionibus agitur, prorsus alienum est. Si praesidium in eo positum erat, quod Erinnyes ibi colebantur, harum certe aliqua mentio fieri debebat, quod ipsum factum non esse dolemus. Nam re vera Eumenidum nomen sub his verbis prorsus corruptis latere arbitramur. Equidem identidem ad eam coniecturam redii, ut *ἔδρασμι' Αἰώνων* a Sophocle scriptum esse putarem: si modo *Ἄωνοι* nominis proprii vim habuisse demonstrare possem. Tamen id verum puto. Alia via, quam tamen minus probo, haec est, ut *σεμνῶν ἔδρα θεῶν* scribatur. Eae vero Deae *Σκότου* et *Γῆς* filiae erant. Nihil igitur magis verisimile est quam prope limen illud Tartari et Terrae filiarum etiam sacram sedem fuisse.

Oed. Col. 221. *Τό τε Ααβδακιδῶν γένος:*

Si quis comparet versum et praecedentem *Ααῖον ἴστε ἴν' ὄνι* et sequentem *ἄθλιον Οιδιπόδαν*, is dubitare non poterit, etiam hunc versum ita refingere: *Ααβδακιδῶν τε γένους*. Jam oratio optime sic procedit, ut primum patris, deinde gentis, denique ipsius Oedipi nomen notumne an non sit quaeratur.

Oed. Col. 228. *οὐδενὶ μοιριδία τίσις ἔρχεται
ὣν προπάθη τὸ ἴνεον.*

En habes versus ab omnibus interpretibus, ut mihi quidem videtur, frustra tentatos. Nam qui interpretantur „nemini divinitus ultio venit, si ea ulciscatur, quae antea passus est“ veram horum versuum sententiam proponunt; sed quoniam modo *τὸ ἴνεον* cum praee-

dentibus coniunctum sit, dicere nemo poterit. Praeterea animadvertere debebant, τίσις et *ίνειν* arctius coniuncta esse: id est, non ultionem deorum et ultionem hominum dici, sed ultionem eiusdem personae. Equidem hunc locum ita restituisse mihi videor: οὐδενὶ μοιριδίᾳ τίσις εἴργεται, ἂν προπάθῃ τὸ *ίνειν*, ut τὸ *ίνειν* Epexegetis vices tueatur, qua, quod antea minus enucleate dictum erat, id nunc accuratius describatur. Nemini divinitus ultio interclusa est, videlicet rependere ea, quae antea ipse passus sit.

Oed. Col. 282. — μὴ κάλυπτε τὰς εὐδαίμονας
ἔργοις Ἀθήνας ἀνοσίους ὑπηρετῶν.

Verbum *κάλυπτε* num sententiae loci satis responderet, iam alii dubitaverunt veluti Meinekius, qui *χάλεπτε* proposuit. Nobis potius de Adiectivo *εὐδαίμονας* dubitari posse videtur. Haec enim vox non eum, qui Deos eum reverentia colat, describit, sed eum, qui gratia deorum fruatur, et cui divitiarum copiam concedant. Sed de hac opulentia hic non agitur, sed de pietatis et misericordiae laude, qua spoliari urbs potest, si eam pietatem in Oedipo non probet. Quid multa? *αἰδήμονας* Athenas dicere debebat, non *εὐδαίμονας*. Jam fortasse etiam *κόλαπτε* scribere audebimus i. e. noli laedere, merita laude privare, in invidiam inducere.

Oed. Col. 306 f. — ὥστε καὶ βραδὺς
εὐδει, κλύων σου δεῦρ' ἀφίξεται ταχύς.

Theseus, ubi te hic adesse audierit, celeriter huc veniet, *καὶ βραδὺς εὐδει*. Quid hoc tandem est? *εὐδειν* verbum corruptum esse, omnes fere interpretes consentiunt; Schaeferus allegorice dictum putavit, tanquam Choro conveniat, ita contemptim de rege suo loqui. Ergo omnes certatim coniecturis suis verba Sophoclis restituere conati sunt. Brunckius, quem multi secuti sunt, *ἔπει* dedit, alii *σπένδει*, in eoque etiam venustatis aliquid deprehenderunt, veluti cum noster poeta „mit bedächtger schnelle“ ait. Sed quam deceat, hoc loco facetum esse, ipsi viderint; nobis nihil ineptius videtur. Equidem nihil verisimilius puto, quam ut *οἶδ' ὅτι* scribatur, commatis signo post *βραδὺς* posito.

Oed. Col. 337. ὦ πάντ' etc.

Prorsus mihi persuasit Meinekius, hos versus ab poeta Herodoti studioso parum prudenter insertos esse. Sed nolim usque ad eum versum Sophoclem interpolatum statuere, ad quem Meinekius progressus est. Si quis versu 342 scribat *ἀλλ', ὦ τέκν'*, nihil impedit quin iam ab hoc versu Oedipi oratio initium capiat.

Oed. Col. 365. ἃ δ' ἀμφὶ τοῖν σοῖν δυσμόροιν παίδων κακὰ
νῦν ἔσσι, ταῦτα σημανοῦσ' ἐλήλυθα.

Ismene, ut ex omnibus, quae antea dicta sunt quaeque infra sequuntur, apparet, non fratrum, sed patris caussa profecta est, nempe ut mala, quae Oedipo rursus imminerent, ei nunciaret. Hoc vero loco, ut sunt verba, contra dicit, se ea mala, quae fratribus imminerent, nuntiaturam venisse. Nam mala, quae sunt *ἀμφὶ τοῖν σοῖν δυσμόροιν παίδων* alia nulla intelligi possant, nisi quae filiis impendeant. Vera ea scriptura vix esse potest: veram accipimus legentes: ἃ δ' ἀμφὶ σοὶ νῦν δυσμόροιν παίδων ἄπο κακ' ἔσσι, ταῦτα σημανοῦσ' ἐλήλυθα. Sequentes versus ita lego:

πρὶν μὲν γὰρ ἀνιοῖς ἦν ὄρος Κρέοντα τε,
θρόνον εἶσαι μηδὲ χραίνεσθαι πόλιν.

Oed. Col. 380. ὡς ἀντίκ' Ἄργος ἢ τὸ Καδμείων πέδον
 τιμῇ καθέξων ἢ πρὸς οὐρανὸν βιβῶν.

Libellus nobis conscribendus esset, si omnia, quae ab interpretibus ad sanandum vel explicandum hunc locum collata sunt, recensere vellemus. Quare a priori, ut dicitur, et ratione ad munus, quod suscepimus, aggrediamur. Polynices minatur, se aut Thebas regia dignitate occupaturum esse aut — Quale tandem illud alterum aut cogitare debemus? Duae, si quid video, sunt rationes, alterum illud aut mente et cogitatione informandi: altera ut dicat, se aut victurum aut ipsum mortem oppetiturum esse: altera vero, qua minatur, se aut regnum recuperaturum aut Thebas prorsus deleturum esse. Tertia via nulla est. Nam quod alii dixerunt, illum gloriari, Argivos urbem Thebanorum aut capturos aut ad coelestem gloriam evecturos esse, id prorsus perversum est, nec dignum, quod pluribus redarguatur. Inter duas rationes supra propositas electio difficilis est. Prioris huc in auxilium vocandae nullam video viam; altera faciliores nec tamen certos aditus nobis praebet. Iam si quis perstet in retinendo βιβῶν, ei commendamus ut ἢ εἰς ἐξώλειαν βιβῶν; equidem alteram praefero: ἢ κατ' ἄκρας ἐξολῶν, se funditus eam eversurum esse. Haec optimam sententiam fundunt, et ab his principiis proficisci debent, qui meliore eventu, quod verisimilius sit, effici posse sperant. Iam τιμῇ est regia dignitas, qua ipse privatus est. Pro Ἄργος nunc etiam audacius cum Nauckio scribemus ἀντίος. Quod nisi placet, licet Ἀργεῖα — αἰχμῇ coniicere, etsi id minus probo, ne duplicis ἢ — ἢ — vis frangatur.

Oed. Col. 404. τοῦτον χάριν τοῖνυν σε προσθέσθαι πέλας
 χώρας θέλουσι, μηδ' ἴν' ἂν σπαντοῦ κρατοῖς.

An ἀποθέσθαι i. e. tutam sibi alicuius rei possessionem firmare. Quod si placet scribamus: τοῦτον χάριν σε τοῖνυν ἀποθέσθαι πέλας.

Oed. Col. 415. ὡς φασὶν οἱ μολόντιες εἰς Θήβης πέδον.
 Parum refert ad fidem oraculo faciendam, utrum illi Thebas venerint nec ne; εἰς Ἀελφῶν πέδον (fortasse etiam πόλιν) scribendum est.

Oed. Col. 441. οἱ δ' ἐπωφελεῖν
 οἱ τοῦ πατρὸς τῷ παιρὶ δυνάμενοι, τὸ δρᾶν
 οὐκ ἠθέλησαν, ἀλλ' ἔπος μικροῦ χάριν
 φρυγᾶς σφιν ἔξω πτωχὸς ἠλώμην ἀεί.

Filii vero, cum possent patri subsidio esse, agere pro me noluerunt, sed vel paucis verbis pepercerunt, quibus me in patria retinere poterant. Haec sententia satis perspicua est; verba vero ita comparata sunt, ut sic a Sophocle vix scribi potuerint. Primum enim quod augendi impietatis criminis causa οἱ τοῦ πατρὸς τῷ παιρὶ dictum est, id parum ei rationi convenit, qua alias eam vim explicare solent poetae. Ita fere agunt ut est supra 427. οἱ γε τὸν φύσαντι' ἐμέ. Nec omnino hic locus is est, in quo tale incrementum et quasi ascensus iracundiae aptus sit. Nam verbis ἐπωφελεῖν δυνάμενοι non ea vis inest, quae huic summae irae voci satis respondeat. Probarem fortasse, si esset οἱ τοῦ πατρὸς τὸν πατέρα ἐξέβαλον: nam sic factum ab illis dicitur, quod fieri non debuerit; illud vero, ut mihi quidem videtur, absonum est: filii patris cum patri suo auxilio esse possent. Sed praeterea vide quam sanae rationi convenienter dicatur: δρᾶν οὐκ ἠθέλησαν, cum pauca verba sufficerent, quibus me in patria retinerent. Intellego si quis dicat: cum paucis verbis opus esset, his verbis pepercerunt. Quis vero unquam inventus est, qui diceret: cum paucis verbis

opus esset, agere pro me noluerunt. Tertium est, quod *ἐθέλειν* nunquam, apud Sophoclem quidem, Infinitivus cum Articulo sequitur: *ἐθέλω τὸ δοῦν* Graece non dicitur. Atque eiecto illo versu verborum series et concinnitas ne minime quidem turbatur. Praeterea vero ne *ἠλώμην* quidem extra dubitationem positum est. In La. scriptum erat *εἰλόμην*, superscripta η littera legitur *ἠλώμην*: ex hoc id correctum, quod in exemplis nostris est. Sed num illud *ἠλώμην* bene se habet? Filii Oedipi tum, cum eiectus est, cum paucis verbis id prohibere possent, illum eiici passi sunt, nec vero illo tempore — nam in eo cardine res versatur, illum perpetuo exulem esse passi sunt. Equidem puto, ad Laurentianum illud *εἰλόμην* redeundum esse, eoque facto pro *ἀεὶ* scribendum *εἶω*.

Oed. Col. 447. — καὶ τροφὰς ἔχω βίον
καὶ γῆς ἄδειαν καὶ γένους ἐπάρχεσιν.

Haec qui interpretantur „praesidium, quod a liberis et domino a cognatis tribui debet“, obliviscuntur, sic genus et partes generis inter se componi. Haec enim *γένους ἐπάρχεσις* etiam *τροφὰς βίον* et *γῆς ἄδειαν* complectitur. Et quam ambigue, quam obscure illud dictum est *γένους ἐπάρχεσιν*, quasi vero rem certam dicere non potuerit, sed inani dictione uti debuerit. Hoc perversum est. Nam postquam laudavit *τροφὰς βίον* et *γῆς ἄδειαν*, tertium addere debebat, quod tertium vere erat, viae levamentum. Id vero habebis, si mecum scripseris: *πόνων ἐπάρχεσιν*.

Oed. Col. 454. ἄμοι Φοῖβος ἦνυσέν ποτε.

Si quis est, qui mecum *ἦνυσεν* voce offendatur, quique dubitet, num eiusmodi interpretatio, qualem exemplum Nauckianum proponit, ullam veri speciem habere videatur „einst verkündete, als in erfüllung gehende“, ei suadeo, ut mecum legat *ἦπυσεν*.

Oed. Col. 479. τρισσὰς γε πηγὰς. τὸν τελευταῖον δ' ὄλον. —
τοῦ ἰόνδε πλήσας θῶ; δίδασκε καὶ τόδε.

Chorus hoc loco Oedipo accurate exponit, quam ratione libationem, qua se purget, peragere debeat. *ἢ τοῖςδε κρωσσοῖς οἷς λέγεις χέω τάδε*; Urnis illis, quas dicis, has libationes offeram? *Τρισσὰς γε πηγὰς*, respondet Chorus, i. e. ut ex duabus prioribus urnis eam quae inest, aquam triplici fusione effundat; ex tertia vero una fusione. Hoc perquam mirum unicuique videbitur, quid sit cur non novies, sed septies libatio fiat, praesertim cum Oedipus, qui mediam Chori orationem interrumpit, non *ὄλον* illud respiciat, i. e. non unius illius fusionis causam quaerat, sed quibusnam ex liquoribus illa composita et mixta sit. Recte, ut equidem existimo, is, qui nuper artem criticam pari sollertia et audacia exercere coepit, Heimsoethius scripsit: *τὸν τελευταῖον δὲ χοῦν*. Sed ne ille quidem rem inchoatam ad finem perduxit. Nam si tertia urna ex melle et aqua mixta est, priores illae dicendum erat quoniam liquore impletae essent. Id vero nusquam comparet. De tribus fusionibus narravit Chorus, quae nullius momenti sunt, de liquore ipso ne unum quidem verbum addidit. Hoc vero, quod prorsus necessarium est, habebis, si parva mutatione scribes:

δισσοὺς γε πηγῆς· τὸν τελευταῖον δὲ χοῦν —

πηγῆς est aquae purae ex fonte haustae. Sed supra Chorus Oedipo, ubi aquam inventurus sit, accurate describit; de melle nihil addidit, quo tamen etiam ipso opus est. Verum ne id quidem omnino neglexit; ait enim 505. *ἦν δὲ του σπάνιν ἴν' ἰσχης, ἔσι' ἔποικος, ὃς φράσει*, qui dicet, ubi id accipere possis.

Oed. Col. 521. ἤνεγκον κακότητα, ὃ ξένοι, ἤνεγκον ἄκων μὲν, θεὸς ἴστω,
τούτων δ' ἀνθαίρετον οὐδέν.

In his versibus duo sunt verba, quae ipsis metricis rationibus ita repugnent, ut probari nullo modo possint. Pro ἄκων enim desideratur vox iambicae mensurae; ἀνθαίρετον vero non convenit cum strophā, quae veram versus formam praebet. Nam ut est: ὅμως δ' ἔραμαι πυθέσθαι 511. sic ἀλγηδόνας ἢ ξυνέσιας 513. et τὰς σᾶς, πέπον, ἔργ' ἀναιδῆ. Ergo Antistrophae metrum Strophae accommodari consentaneum est. Pro ἄκων in promptu videbatur ἐκὼν scribere, quam viam cum alii ingressi sunt tum Hermannus, qui in sequenti versu pro ἀνθαίρετον ingeniose ἀπλάκητος coniecit: ut haec prodiret versus forma:

ἤνεγκον κακότητα, ὃ ξένοι, ἤνεγκον, ἐκὼν μὲν, θεὸς ἴστω,
τούτων ἀπλάκητος οὐδέν.

At sic ἐκὼν et ἀπλάκητος, voces synonymae, neque copula inter se connexae, neque, si ἀσυνδέτως scribi praestabat, ita positae sunt, ut vim quandam maiorem exercent. Praeterea ἀπλάκητος vox non majus quid sonat quam ἐκὼν, sed minorem culpae gradum, quae errore potius quam scelere contineatur, proponit. Minus etiam placet W. Dindorfii ratio, qui et ipse ἐκὼν probat, sed post τούτων δ' conservat, ut fere idem valeat, quod ἐκὼν οὐχ ἐκὼν, quasi vero eiusmodi Oxymoron non etiam ipsa verba acuta et acriter inter se dissentientia requiratur. Licet aliorum commenta silentio praeterire, praesertim Nauckii, qui interpolationibus, ad quas ipse confugit, et sententiae et numerorum vim mihi fregisse videtur. Equidem cardinem rei eum puto, ut ἤνεγκον praegnantī quadam vi intelligatur: videlicet: tuli, tuli, non ipsi elegi, non ipse recepi, nihil nisi tuli. Iam uno verbo mutato vel duobus scribas:

ἤνεγκον κακότητα, ὃ ξένοι, ἤνεγκον ἀρὰν μὲν, θεὸς ἴστω
τούτων δ' εὐάρεστον οὐδέν.

Oed. Col. 538. ἔπαθον ἄλαστ' ἔχειν.

Ἐχειν quod est 232 si ex verbo διδόναι vel simili pendet, nihil dubitationis habet; aliter se res habet, si ab ἔπαθον pendere illud statuit. Mihi ita videtur, pro ἔχειν Sophoclem ἄχη scripsisse.

Oed. Col. 540.

ἔδεξάμην
δῶρον, ὃ μὴ ποτ' ἐγὼ ταλακάρδιος
ἔπωφέλησα πόλεως ἐξελέσθαι

Locus difficillimus, et cui ne Meinekius quidem lucem attulisse videatur. Hermannus πόλεος scripsit. Nihil, inquit Oedipus, feci, sed accepi donum, quod utinam ego infelix homo nunquam accepissem! Nihil, inquit, feci, quo matrem meam in matrimonium ducerem, sed illa mihi ab urbe dono data est: nihil in ea re peccavi, nisi quod illud matrimonium non repudiavi. Haec quidem verbi δέχεσθαι vis est. Verbum ἐξελέσθαι difficilius est: non enim idem valet quod λαβεῖν vel accipere, sed est, sibi eligere, fortasse etiam eligere aliis. Haec vero eius vis neutiquam sententiae loci supra propositae convenit; Oedipus enim illam non sibi elegit, sed sibi dari passus est. Ergo hoc quidem non est dubium, quin ἐξελέσθαι tolli debeat. Alterum vero est, quod ἐπωφέλησα Obiecto minus carere potest, quam ut ἐξελέσθαι vel quod eius in locum substituemus Genitivo addito accuratius describatur. Non enim ex urbe magnus delectus erat, sed cives id quod habebant unum Oedipo offerebant. Ergo non ex πόλεως subintelligemus πόλιν, sed hoc ipsum, sine quo

ἔπωφέλῃσα mancum est, scribemus. Tertium est, ut persona adiungatur, cui aliquid datum sit. His constitutis versus hos habemus:

ἐδεξάμην
δῶρον, ὃ μήποτ' ἐγὼ ταλακάρδιος
ἔπωφέλῃσα πόλιν ἐμοὶ γενέσθαι.

i. e. o si nunquam urbi succucurrissem, ut hoc mihi donum contingeret.

Oed. Col. 547. καὶ γὰρ ἄλλους ἐφόνευσά καὶ ἀπόλεσα,
νόμῳ δὲ καθαρός ἄνδρις εἰς τόδ ἦλθον.

Haec Laurentiani scriptura metro strophae non convenit; etiamsi sententia omni ex parte probaretur, tamen verba emendari oporteret. Atque pro ἀπόλεσα scribendum esse ὄλεσα, exploratum et transactum videtur: eo maiorem interpretum et criticorum contentionem ἄλλους vox excitavit. Pro eo ἄνους ab aliis, ab aliis ἄλους, ab aliis ἐμούς, ab aliis ἀπλοῶν tentatum est; quorum nihil mihi satis probabile videtur. Nam qui ἐμούς scribi iubent, Oedipum, patris persona significata, acerbius de se loquentem faciunt, quam Chorum, qui patris occisi nomen, nisi fallor, de industria reticuerat. Qui vero ἄνους commendaverunt, non cogitaverunt, quantum inter ἄνους et ἄνδρις discrimen obtineret. Qui ἄλους ἐφόνευσά idem volunt esse, quod ἑάλων φονείσας, omnem sermonis rationem pervertunt, et inferunt notionem, quae hic prorsus inutilis sit. Equidem nihil video, quod aptius sit, quam Hesyichianum ἄλεις, quod est πληγείς. Neque dubito, quidquid grammatici in Hesyichium criminis aut cavillationis coniecere, palam profiteri, uberrimum hunc Sophoclis emendandi fontem esse. Hoc igitur ait Oedipus: non prorsus sine iure quodam (πρὸς δίκης τι) egi, cum patrem occidi. Nam baculo percussus caedem commisi. Pergit: νόμῳ δὲ καθαρός, ἄνδρις εἰς τόδ ἦλθον. Sed haec praestat alio modo distinguere, ita videlicet, ut post καθαρός punctum scribatur. Fortasse etiam pro δὲ utile est γε scribere: ex ea quidem lege, quam et natura et homines sanxerunt, sine caedis culpa. Et addit quasi indignabundus: ἄνδρις εἰς τόδ ἦλθον: nihil suspicans ad haec veni. νόμῳ γε καθαρός, etiam si vos me condemnetis.

Oed. Col. 551. πολλῶν ἀκούων ἔν τε τῷ πάρος χρόνῳ
[τὰς αἱματηρὰς ὁμιμάτων διαφθοράς],
ἔγνωκά σ', — ὃ παῖ Αἰάου, τὰ νῦν θ' ὁδοῖς
ἐν τοῖσδ' ἀκούων μᾶλλον ἐξεπίσταμαι.

De versu, quem Nauckius uncis inclusit, nihil disputo; nam et ipse prorsus ei assentior, cum non ab Sophocle scriptum esse. Verum etiam reliqua multum dubitationis ferunt. Duabus rebus Theseus ait se cognovisse Oedipum: et quod de illo iam supra audiverit, videlicet de caecitate eius, de mendici habitu, de comite filia, et quae sunt alia ex eo genere; et ex eis, quae nunc in hac via de peregrino illo acceperit. Vix dicas, quid sit illud, quod praeterea in via audire potuerit, quo nunc magis eum cognosceret. Si Oedipi nomen ipsum comperisset, absurdum erat μᾶλλον ἐξεπίσταμαι dicere. Reliqua haud dubie iam a nuntio, qui eum vocaverat, satis edoctus erat. Sed videamus sequentia. Quae confirmandi caussa statim affert, ea omnia talia sunt, qualia oculis cernantur, non auditu cognoscantur, veluti habitus ac facies deturpata. Quare fuit iam pridem, qui pro ἀκούων commendaret λεύσσων. Quod ut probō ex animi mei sententia, ita doleo, filium emendationis inchoatum abiectum ab illo esse. Qui enim λεύσσων scribit, ei etiam ἔδραις ἐν ταῖσδε scribendum est. In via enim audire licet, videre non item. Sed unum restat, quod hisce

addamur: pro ἔγνωκα scribi iubeo σ' ἔγνω ἄν. Iam habemus sententiam claram et veram: ex eis, quae antea de te audiui, ego te statim cognovissem, nunc vero ex eis, quae oculis meis video, etiam magis te agnosco. Id est: ea quae antea audiui et ea quae nunc oculis cerno ita inter se conveniunt, ut, quin tu Oedipus sis, dubitare nequeam.

Oed. Col. 565. ὥστε ξένον γ' ἂν οὐδέν' ὄνθ' ὥσπερ σὺ νῦν etc.

Fortasse praestat οὐ inserere: ὥστ' οὐ ξένον γ' ἂν οὐδέν' etc.

Oed. Col. 560. ἀλλ' εἰ θελόντ' ἂν γ' οὐδὲ σοὶ φεύγειν καλόν.

Hanc libri Laurentiani scripturam, quicumque Sophoclem emendare conati sunt, sua quisque ratione sanare instituerunt: enumerare omnes supervacaneum et difficile est. Hoc unum certum mihi videtur, φεύγειν hoc loco non esse i. q. exulem esse. Hoc primum apparet ex versu sequenti, in quo est παρίεσαν, cui eadem fere quae verbo φεύγειν vis est. Tum vero, si φεύγειν esset in exilio esse pro καλόν expectaremus χρεών, aut notione addita opus erat, qua φεύγειν eam vim acciperet, ut esset „exilium pertinaciter tenere“. Ergo φεύγειν est recusare, quod ab aliis petitur. Quare θελόντ' necesse est idem valere quod cupere. Sententia vero: quodsi illi id cupiunt, ne tibi quidem repugnare fas est. Sed ut eam sententiam efficias, scribe: ἀλλ' οὐν θελότων γ' οὐδὲ σοὶ φεύγειν καλόν. Ad θελότων facile subaudias κομίζεω σε.

Oed. Col. 594. δίδασκ' ἄνευ γνώμης γὰρ οὐ με χρῆ λέγειν.

Supra versu 592 Theseus Oedipum reprehendit, quod in ea, in qua sit, calamitate tamen iracundiam remittere nolit. Cui Oedipus: reprehendas me, cum audieris; nunc vero mea me ratione uti sinas. Doce ergo, inquit Theseus; nam sine cognitione rei non decet me dicere (vel potius, quod Bergkio placuit, ψέγειν, reprehendere). At antea iam Oedipum graviter reprehendit: ὦ μῶρε, inquit, θυμὸς δ' ἐν κακοῖς οὐ ξύμφορον. Sed haec facile est inter se conciliare, si scribamus χρῆν: non debebam te vituperare ἄνευ γνώμης. Poenitere se iam Theseus dicit, quod illum antea vituperaverit.

Oed. Col. 612. καὶ πνεῦμα ταῦτόν οὐ ποτ' οὐτ' ἐν ἀνδράσιν
φίλοις βέβηκεν οὔτε πρὸς πόλιν πόλει.

Omnes mortalium res incertae ac mutabiles sunt, nihil est, quod temporis potentiae se subtrahere possit. Sic ne amicitiarum quidem neque inter singulos homines neque inter civitates ulla perpetuitas est. Sed ut sententia clara est, ita in verbis est, quo merito offendere, βέβηκε, pro quo iam pridem extitit, qui πέφηνεν scribere vellet, Wakefieldius. Sane βέβηκε saepenumero ita dicitur, ut statum, in quo aliquid nunc ipsum sit, describat: sed et permanendi vis ab eo tempore abest, et locus fere semper additus est, in quo illud nunc consistere dicatur. Veluti Oed. Col. 1055. χρυσέα κλῆς ἐπὶ γλώσσα βέβακε, et 1361. ἐν πόνῳ ταύτῃ βεβηκώς, et El. 1046. ὅταν ἐν κακοῖς ἤδη βεβήκης, et quae sunt alia apud Ellendtium. Id vero prorsus naturae conveniens, ut in verbo eo, cui eundi vis sit, locus commemoretur, in quo aliquid constitit. Si vero putes, ἐν ἀνδράσι φίλοις, hunc ipsum locum esse, reputes hos homines esse, in quibus aliquid fiat vel accidat, non in quibus aliquid consistat. Licebat dicere ἀνδρῶν φίλων, non mutata sententia. Quare βέβηκεν ferri nullo modo potest, sed pro eo scribendum est facillima emendatione βέβαιον. ταῦτόν vero, ne in tautologiae crimen incurramus, proleptice dictum putabimus, nisi, quo mea inclinatur sententia, ταῦτόν etiam ipsum corruptum existimandum est. Nam quod, ex Aeschyli Suppl. 30. laudatur

exemplum: Ζεὺς δέξαιτο τὸν στόλον αἰδοίῳ πνεύματι χώρας, id nihil dubitationis habet, addito Genetivo eius, cuius aura sit, et praeterea verbo δέξαιτο satis clare describitur: quod contra hoc de quo agimus loco est. Quare conieci ἔρωτος, quo et tautologiae species tollitur et ipsa sententia illustrior fit.

Oed. Col. 624. ἀλλ' οὐ γὰρ αὐδᾶν ἤδὺν ἀκίνητην ἔπη

ἀκίνητα ἔπη sunt verba, quae eloqui fas non est, non res acerbiores dictu. Quare vereor ut ἤδὺ ea notio sit, quae sententiae prorsus conveniens videatur. Non dulce, sed decorum et sanctum sibi negat Oedipus plura dicere. Expectes ὄσιον.

Oed. Col. 630. οὔτοι σ' ὑφ' ὄρκου γ' ὡς κακὸν πιστώσομαι.

Est hic locus unus ex paucis illis, in quibus praepositio ὑπὸ inusitatus scripta est. Omnes illi loci habent et quo offendant et quo facili se sanari patiantur. Hoc quidem loco in promptu est scribere ὑφορκον.

Oed. Col. 661. κείνοις δ' ἴσως κεί δειν' ἐπερρώσθη λέγειν

Si nihil aliud, certe horridum hunc versum, vix Sophocleum, ita emendes: κείνοισι δ' εἰ τὰ δειν' ἐπερρώσθη λέγειν. Quamquam vel sic pro particula δὲ eam desideramus, quae arctius haec ad praecedentia annectat, ut, quod multis iam accidit, etiam illis, refrigerata ita eventurum dicatur. Hoc efficit αὖ, quod ita versui licet inserere: κείνοισι δ' αὖ κεί δειν' ἐπερρώσθη λέγειν.

Oed. Col. 664. θαρσεῖν μὲν οὖν ἔγωγε κἄνευ τῆς ἐμῆς

γνώμης ἐπαινω, ψοῖβος εἰ προῦπεμψέ σε;

ὅμως δὲ κάμου μὴ παρόντιος οἶδ' ὅτι

τοῦμόν φυλάξει σ' ὄνομα μὴ πάσχειν κακῶς.

Haec verba, ut scripta leguntur, vix explicari possunt: sanam et tolerabilem sententiam ut efficeret, Meinekios audacius, quam eius consuetudo fert, mederi eis conatus est. Theseus paullo ante Oedipo persuadere studuit, parum verisimile esse, fore ut Thebani ei vim inferrent. Multas iam minas irritas fuisse: calidiora consilia ratione adhibita saepe mutari: ac si vellent illa consilia exequi, fore ut in multas et magnas difficultates inciderent. Iam sic pergit: quare tu bono animo sis, etiam si meae sententiae rationem non habeas. Quid? nonne contra eum cohortabitur, ut suis argumentis fidem habeat, si quidem Phoebos auctore huc pervenit? Huc metrica caussa accedit, propter quam illud ἄνευ ferri nequit: notissimam illam Porsoni legem ita violatam vides, ut nullo modo id excusari possit. Quare audeo ita corruptissima verba emendare: θαρσεῖν μὲν οὖν ἔγωγε κἀντέχεσθ' ἐμῆς γνώμης ἐπαινω (aut si id praestabilius videbitur) παραινῶ. Quare iubeo te sine metu esse meaeque sententiae firmiter confidere. Tamen, si times, ne illi te abducturi veniant, scito, etiam absente me, nomen meum satis valere, ut illi manum tibi iniicere metuant. Significavi facillimam emendationem, ἴσθ' ὅτι pro οἶδ' ὅτι, qua uti etiam alias necesse est, qua de re vide Meinekium ad v. 797.

Oed. Col. 688. — — ἀλλ' αἰὲν ἐπ' ἤματι

ἠκνυτόκος πεδίῳ ἐπινίσσεται

ἀκηράτῳ σὺν ὄμβρῳ

στερνοῦχον χθονός.

Carmen, ex quo hi versus deprompti sunt, ita compositum est, ut in priore eius

parte laudes Coloni pagi, in posteriore laudes Athenarum ipsarum celebrentur. Atque illa quidem pars pagum ab amoenitate commendat, altera vero pars utilitates et commoda Atticae terrae describit. Quae si vera sunt, nemo in priore parte utilitatis, nemo in altera amoenitatis praeconium expectabit. Itaque ne *ἠκτιόκος* quidem hoc loco satis consentaneum videtur, quoniam animum ab amoenitate regionis ad ubertatem, quam fluvius praebeat, avocat. Sed ne is quidem, cui haec disputatio nimis subtilis vel minuta videatur, negabit, fructuum mentione facta non tam celeritatis quam ubertatis rationem haberi solere. His de caussis *ἠκτιόκος* Sophocleum mihi non videtur: pro eo reponamus Adiectivum, quo vivacitas, ut ita dicam, et ardor fluvii describatur. *Ῥαυπόκος* Cephissus, nisi fallor, etiam ei, qui amoenitatis signa quaerit, satis se commendabit. Nam qui *ἠκτιόκος* i. e. celeriter renovatus scribere velit, vix quisquam inveniatur. Sed videamus iam, quaenam Cephisi virtutis enumerentur. Primum perennis est fluvius; deinde alacriter fluctus suos devolvit; denique *ἀκρήατω σὺν ὄμβρῳ* fluit, purus et limpidus est. Sed hoc ipsum non sufficit, praesertim cum vox *ὄμβρος* dubium faciat, quod aquae genus intelligendum sit. Nam si illa ex ipsa terra proficiscitur, limpidior et purior erit, quam si pluvia aqua in eum confluat. Ergo Genetivus *χθονός* prorsus necessarius est, quo *ἀκρήατος* ille *ὄμβρος* accuratius depingatur: contra, quo quidam interpretes hunc Genetivum traxerunt, *πεδίων* eo Genetivo non eget, estque praeterea ab eo ita disiunctum, ut *πεδία χθονός* arctius cohaerere nullo modo videri debeant. Et si hoc liceret, quid tandem inde lucraremur? Omnia *πεδία* haud dubie terrae late patentis sunt: aqua non omnis ex fontibus profluit. Ergo hoc constat, verba *ὄμβρῳ στεροῦχου χθονός* inter se connexa esse, rectissimeque nuper Meinekius ita iudicavit. Sed difficultatem rursus magnam movet *στεροῦχου*, tantam, ut Hermannus quidem non procul abesset, quin *σπερμουῖχος* commendaret. Hermannus audacius Meinekius *σπερμουῖχος* non solum probavit, sed in ipsum textum recepit. Sed eius generis composita primum quidem cum describunt, qui rem aliquam teneat, eam videlicet rem, quae non ipsius corporis pars sit: veluti *σκηπιούχος* *δαδούχος* *ῥαβδούχος* alia et sic *σπερμουῖχος* Ceres dicitur, non quod semina plantarum in se habet, sed quod domina eorum est et ea hominibus dividit. Sed si Ceres *σπερμουῖχος* dici potest: num etiam Terra? Illa videlicet semina spargit, haec in se recipit. Praeterea non *σπερμουῖχος*, sed *σπερματοῖχος* dicendum erat, id quod et ipsa ratio et similitudo ceterorum eius generis compositorum docet. Ergo *σπερμουῖχος* Ceres nihil nos adiuvat, et Athenaeus potius emendandus, quam vox parum Graeca Sophocli obtrudenda est. Tum etiam sedem, quam quis teneat, significant, veluti *οὐρανοῖχος*, quod Aeschylus dixit, et *στεροῦχος*, quod, nisi fallimur, ad similitudinem Aeschyleae vocis ab Sophocle ipso formatum est. Terra vero *στεροῦχος* est ea, quae continentem et stabilem orbis partem, quasi firmum pectus teneat, non fluidum ac turbidum mare. Et ex hoc pectore reconditas illas ac frigidas aquas sursum fluere iubet. Ergo non late patens terra, sed firma et solida intelligitur. Nec vero repugnem, si quis maiuscula littera *χθονός* scribere malit. *Στεροῦχος* igitur indicat, illas aquas ex intimis visceribus terrae profluere, in quibus non aliter reconditae sunt, quam sub pectore hominis omne cogitationum vel cupiditatum genus fremit et ad lucem prorumpere gestit.

Oed. Col. 698. *φύτινι' ἀκρήατον αὐτιόποιον,*

ἐγγέων φόβημα δάτον,

ὃ τᾶδε θάλλει μέγιστα χώρα

γλανκᾶς παιδοτρόφου φύλλον ἐλαίας.

In hoc carmine, quo Athenarum laudes celebrantur, ante aliquot annos Ritschelinus

ita operam posuit, ut idem et carmini nitidissimo suum splendorem restitueret, et artis criticae via et ratione exercendae egregium specimen ederet. Est tamen ita illud comparatum, ut, aliis difficultatibus remotis, aliae nec minores subnascantur, quasi perpetuam emendandi et explicandi materiam praebiturum. Sic Ritschellius optime, ut nobis quidem videtur, refutavit, quae ab criticis pro ἀχέρητον, quod est in Codicibus, commenta sunt: sed non item comprobavit, ἀχείρητον, cui ipse patrocínatus est, eam, quam statuit, vim habere, nisi existimabimus, Sophoclem soni similitudine deceptum ei vocabulo novam prorsus et inauditam significationem indidisse. Equidem ἀκήδεντον praetulerim: proxime certe ad id, quod requiritur, accedit, ut arbor illa sua sponte, non nata esse, id enim absurdum est, sed vigere videatur, nulliusque hominis cura egerē. Atque huic notioni respondere, quod sequitur, ἀνιόποιον necesse est. *Ανιόποιον* bene repudiavit Meinekius; ipse *ανιόφρσιον* substituit: magis etiam id quod nos volumus exprimet *ανιόφλοιοιον*, id quod ex se ipso quasi turgescit et pubescit. Ergo haec prima arboris laus est, quod vitam ex se ipsa hauriat; altera, quod etiam hostibus sui reverentiam iniiciat *εγγέων φόβημα δαίτων*; tertiam sequentia verba offerent, ὃ τῆδε θάλλει μέγιστα χόρρα. Sed haec rursus inextricabilia videntur: quid enim sit, quod μέγιστα sibi velit, nemo facile dixerit. Si modo μέγιστον dixisset, laus illa ex altitudine Atticarum olearum repeteretur; μέγιστα quod dixit, si idem valet ac μάλισια, cur non id ipsum posuit, ut nunc correxit Blaydesius. Sed etiam μάλισια languere maxime videretur et a poetica ratione longissime abesse. Quare fortasse scribendum μέγ' ἔρμα, magnum huic terrae praesidium est, ab opibus videlicet inde civibus affluentibus. Quartum denique est, quod illa arbor infantium tutelam in se recipere videtur. Puerperis enim coronae ex ejus fronde nexae ante ianuam apponebantur. Hoc est enim sine dubio, quod παιδοιόφρον significat, atque hac caussa fuit, cur non ἐλαία ipsa, sed φύλλον ἐλαίας commemoraretur, id quod interpretes alias sagaciores, quam necesse est, fugisse satis mirari nequeo. Quattuor igitur res praedicantur, quibus olea Attica praestet, quod sua sponte vigeat et turgescat, quod vel hostes eam attingere metuant, quod opes civium augeat, quod subolem civium tueatur. Et haec omnia, quasi marmori incisa, paucissimis verbis adumbrata potius quam coloribus ornata sunt.

Oed. Col. 728 ff.

In Creontis oratione non pauca sunt, quae paullo attentorem lectorem non immerito offendere debeant; quae singulatim prius percensere utile est, quam de tota orationis compositione agamus. Itaque ut ex medio versus quosdam excipiamus, enumerat Creon ea, quae misericordiam suam excitare debeant; nam et ipsum Oedipum mendicum domoque carentem errare, et Antigonam in tantis miseriis incidisse, quantas ne Creon quidem ipse animo finxerit:

751. πτωχῷ διαίτη, τηλικούτος, οὐ γάμων
ἔμπειρον, ἀλλὰ τὸν πόντος ἀφράσα

Quo loco, ut est in exemplis editis, πτωχῷ διαίτη cum versu praecedenti arctissime cohaerent αἰεὶ σε κηδεύονσα καὶ τὸ σὸν γάρα πτωχῷ διαίτη: quod sane absurdum est: nemo enim mendici vita et victu alium curat, etsi, dum curat illum, πτωχῷ διαίτη utitur. Nec vero, quod satis probabile esset, licet coniungere πέπτωκεν πτωχῷ διαίτη, cum integer versus inter haec verba intercedat. Sic igitur res sese habet, ut haec verba fulcro, in quo nitantur, orbata et quasi fluitantia videantur. Sed pergamus ad sequentia. *Τηλικούτος* vel de proveciore vel de tenella aetate intelligi potest: hic quidem dubitatio nulla subest, quin haec altera eius vocis vis unice vera sit. Dolet Creon, hanc teneram aetatem tot ca-

lamitatibus periculisque obiectam esse. Sed qui haec modo questus est, is statim additurus videtur οὐ γάμων ἔμπειρον (sic enim est in libris, non ἔγκληρος, quod Nauckius, aut ἔμμοιρος, quod Meinekius commendat)? Sed quid refert, utrum ἔμπειρος an aliud quid scribas? Tenella illa aetas et matrimonium tamen non inter se convenient. Haec opinor, sufficiunt quae suspicionem aliquam moveant. Magis etiam sequentia movebunt:

753. ἄρ' ἄθλιον τοῦνευδος, ὦ τάλας ἐγώ,
ὠνειδισ' εἰς σέ κάμῃ καὶ τὸ πᾶν γένος;

Nonne, inquit, hoc, quod tibi opprobrio dedi, et tibi et mihi et toti domui nostrae grave est? Opprobrium intelligi nullum potest, nisi quod Antigona eis miserius exposita est. Sed si eius rei in Creonte culpa est, in Oedipo certe nulla vel umbra culpae est. Ipse enim invitus in exilium eiectus, Antigona vero honestissimo consilio eius exilli particeps facta est. Sed utut illud est, expectamus certe, in sequentibus verbis Creontem in hoc perseveraturum esse: veluti ita ut dicat: „ergo si tibi puella illa cara est, iam redeas domum, ut vita domestica et regia iam perfruat et ex longis erroribus requiescat. Quid ille? Oedipum hortatur, ut suum dedecus domi abscondat: Antigonae nulla iam mentio est. Equidem, si quid video, illos quoque versus, extirpandos iudico. Verum ne ea quidem, quae sequuntur, satis Sophocle digna sunt. Sic enim pergit:

ἀλλ' οὐ γὰρ ἔστιν ἀμυγανῇ κρύπτειν, σὺ νῦν
πρὸς θεῶν παιρῶν, Οἰδίπου, πεισθεῖς ἐμοὶ
κρύψον, θελήσας ἄστυ καὶ δόμους μολεῖν
τοὺς σοὺς παιρῶνας, τήνδ' ἐν πόλιν φίλως
εἰπὼν· ἐπαξία γάρ ἢ δ' οἴκοι πλέον
δίκη σέβου' ἄν, οὔσα σὴ πάλαι τροφός.

Non unum est, in quo haereamus: et si singula minus valere videantur, in unum coniuncta non parvi fieri debent. Primum enim, quis unquam dixit ἢ οἴκοι πόλις? quis φίλως εἰπεῖν τινα, videlicet ut esset idem ac valedicere, χαίρειν λέγειν. Iam σέβασθαι passiva significatione prorsus insolitum est. Atque haec iam ab aliis, veluti ab Meinekio, observata. Quid vero Oedipus respondebit, commonitus, Thebas suam πάλαι nutricem fuisse? Thebas, unde bis et infans et vir factus crudeliter expulsus est? Sed tres illos versus nullo negotio restituemus in integrum, scribentes

758. τοὺς σοὺς παιρῶνας, τήνδ' ἐν πόλιν
εἰπὼν· ἐπαξία γάρ, οὔσα σὴ τροφός.

Athenis haec laus convenit, ut ea terra nutrix Oedipi fuisse dicatur, etsi non diu, sed brevissimo tempore ejus beneficio usus est. Restat duplex illud κρύπτειν, quod levius, quam par erat, vel Godofredus Hermannus vel Meinekius tulisse mihi videntur. Nam si occultari illud dedecus non amplius potest, Oedipus vero occultare illud iubetur, illud prorsus necessarium videtur, ut priori κρύπτειν persona adscribatur, quae occultare iam non possit. Nos celare non possumus, dicere debebat, tu celes quaeso. Sed hoc, quod dico necessarium fuisse, non invenimus. Ergo in altero κρύπτειν vitium librarii est, haud dubie in secundo, pro quo scribamus νεῦσον. Iam si cum Meinekio scribimus σὺ νῦν, hic locus satis perpurgatus ac politus videri potest. Sed ne sic quidem res absoluta est. In praecedentibus enim versibus non pauca supersunt haud dubie falsa et corrupta, quae si non sanabimus, licebit tamen demonstrare, ubinam vitium lateat. Ait Creon:

745. ὄρων σέ τὸν δύστηνον ὄντα μὲν ξέγον
ἀεὶ δ' ἀλήτην κατὰ προσπόλον μιᾶς
βιοστερῇ χωροῦντι· τὴν ἐγὼ τάλας etc.

Ἀλήτης et *βιοστρεῆς* unam rem describunt, mendicantium conditionem: alterum loco cedere necesse est. Equidem censeo, ut *βιοστρεῆ* eiiciatur. Nam ut liceat *χωροῦντα* dicere de exulis vaga vita, quod ipsum vehementer dubito, licebit certe non *βιοστρεῆ* *χωροῦντα* inter se conjungere. Ac fuit cum pro *χωροῦντα βιοῦντα* scribere tentarem; sed deterruit me iterata sententia eadem, et quod sic *ἐπὶ προσπόλον μῆς* cum *βιοῦντα* coniungi non posset. Fortasse iam melior ea ratio iudicabitur, quam nunc propono:

ὄντα μὲν ξένον

ἀεὶ δ' ἀλήτην, κατὰ προσπόλον μῆς
ὄμοῦντα τῆς δ' ἐπ' Ἀντιγόνης, ἣν δὴ ἰάλας etc.

Oed. Col. 787. οὐκ ἔσσι σοι ἰαντ'· ἀλλὰ σοι ἰάδ' ἔσι, ἐκεῖ
χώρας ἀλάστωρ οὐμός ἐνναίων ἀεὶ.

